



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 108. Tres Cardinales a Farnesio nominati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„quos digniores censueris, nominare
 „poteris, nec ego meis deero partibus,
 „ut ex his unus eligatur. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1572.

§. CVIII.

*Tres Cardinales a Farnesio nomi-
 nati.*

Itaque Farnesius ex Cardinalibus Mont-
 politianum, Boncompagnum, & Cor-
 regium nominat: quo facto Granvel-
 lanus a Farnesio secedens Alexandri-
 num Cardinalem convenit, eidem signi-
 ficans, quod tunc, nisi ad promptam
 Pontificis, qui Regi Domino suo gra-
 tus esset, electionem concurreret,
 suo tempore ipsum pœnitentia subitura
 foret: postea Granvellanus tres illos
 Cardinales a Farnesio nominatos expo-
 suit, eundem hortatus, ut ex his unum
 designaret: præterea addidit hæc verba:
 „id si feceris, Dei favorem, & Regis
 „Hispaniæ amicitiam tibi conciliabis. „
 Ad hæc Alexandrinus Cardinalis, qui
 adhuc ætate juvenis, atque in nullo
 conclavi præsens de comitiorum rebus
 nullam habebat experientiam, quid re-
 sponsi daret, ignarus in suam cellam
 sese recepit, ubi convocatis suis amicis
 ea, quæ Granvellanus proposuit, pau-
 cis verbis significavit, jungens, quod
 prius de Placentino Cardinale, qui
 Borromæo percarus esset, cogitasset, il-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

lius tamen electio ejus amicis minus grata fuisset, eo quod hic Cardinalis recens ad purpuram evehctus esset, unde consultius foret, quempiam ex Cardinalibus a Pio IV. renuntiatis eligere (*).

§. CIX.

Actum de eligendo Cardinale Hugone Boncompagno.

Alexandrinus Cardinalis Boncompagnum nominans postea quosdam Purpuratos a Pio IV. creatos, quos ad eligendum Boncompagnum jam antea sollicitaverat, accessit, eisque exposuit, quod cunctos amicos suos in hujus Car-

(*) Benevole Lector, observes velim, quod de cunctis hisce nec Spondanus, nec Ciaconius, neque Foglieta, nec Victorellus, nec alii verbulo quidem mentionem faciunt, ipse vero Continuator pro more suo, quoties quoddam conclave describit, nullum omnino Authorem tanquam testem allegat, ut plenam confingendi libertatem nactus Sacra comitia depingere valeat tanquam officinas, in quibus variæ artes, fraudes, & dolosa cudentur consilia, ut horum ope summorum Pontificum electiones fuisset factas, Lectoribus suis exhibere valeat. j